



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome In Qvatvor Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi

Spina, Claudius de

Parisiis, 1551

3. de angelis secundum suas condiciones intrinsecas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38840

xerit, Ascendam in cælum, &c. Sed ibi Cælum vocat Dei celsitudinem, cui parificari volebat. & est tale, ascendam in cælum, id est ad æqualitatem Dei.

DE ANGELIS SECUN-
dum suas intrinsecas
conditiones.

D I S T I N C T. 3. C A P. Primum.

*Angelis suæ creationis initio quatuor
sunt distributa.*

NVnc consequens est inuestigare quales facti fuerint in ipso primordio suæ conditionis: & quatuor quidem Angelis videntur esse attributa initio substantiæ suæ, scilicet essentia simplex. i. indiuisibilis & immutabilis, & discretio personalis, & per rationem naturaliter insitam, intelligentia, memoria, & voluntas siue dilectio, liberum quoque arbitrium. i. libera inclinandæ voluntatis, siue ad bonum, siue ad malum, facultas. Poterant enim per liberum arbitrium sine violentia & coactione, ad vtrunlibet propria voluntate deflecti.

*attributa
ang. l. 1. 1.
A.*

C A P. Secundum. *Angeli sunt in attributis illis inæquales, & in aliis æquales.*

Illæ igitur essentiæ rationales, quæ personæ erant & spiritus, naturæque simplices, & ita immortales, differentem essentiæ te-

nitatem, & differentem sapientiæ perspicacitatem, atque differentem arbitrij habilitatem, rectè habuisse intelliguntur: sicut in corporibus nonnulla differentia est secundum essentiam, ac formam, & pondus. Ad hunc modum enim credendum est illas spirituales naturas conuenientes suæ puritati & excellentiæ, & in essentia & in forma & in facultate differentias accepisse in exordio suæ conditionis, quibus alij superiores, alij inferiores dei sapientia constituerentur, aliis maiora, aliis minora dona præstantis: ut qui tunc per naturalia dona aliis excellebant, ipsi etiam post munera gratiæ eisdem præessent: & qui natura magis subtiles & sapientia amplius perspicaces creati sunt, ij etiam maioribus gratiæ muneribus præditi sunt: qui verò minus natura subtiles, & sapientia minus perspicaces conditi sunt, minora gratiæ dona habuerunt, &c. In ipsa facultate arbitrij differentia animaduertenda est, secundum differentem naturæ virtutem, & differentem cognitionis & intelligentiæ vim. & sic differens vigor & subtilitas causæ infirmitatem non adducit, minorque cognitio sapientiæ ignorantiam non ingerit. Sic libertas inferior nullam arbitrio necessitatis voluntatem imponit. Et sicut in prædictis Angeli differebant, ita & quædam communitia & æqualia habebant, quòd scilicet spiritus

*Differens
libertas ar-
bitrii. in An-
gelis.*

erant, quod indissolubiles & immortales,
commune omnibus erat & æquale.

CAP. Tertium. Inter creationem
Angelorum & lapsum ali-
qua morula intercessit.

OMnes Angelos creatos esse bonos. i.
sine vitio, iustosque fuisse. i. innocen-
tes, sed non iustos. i. virtutum exerci-
tium habentes, quidam affirmant: nondum
enim præditi erant virtutibus, quæ stantibus
appositæ fuerunt in confirmatione per gra-
tiam: aliisverò per liberum arbitrium super-
bientibus, & ideo cadentibus. Aliquam etiam
morulam fuisse aiunt inter creationem &
lapsum vel confirmationem: & in illa breui-
tate temporis omnes boni erant: non quidem
per usum liberi arbitrij, sed per creationis
beneficium. Et tales erant, qui stare poterat,
id est non cadere per bona creationis, & ca-
dere per liberum arbitrium. Poterant enim
peccare, & non peccare: sed non poterant
proficere ad meritum vitæ, nisi gratia super-
adderetur: quæ addita est quibusdam in con-
firmatione: idque confirmant autoritate
Augusti, super Gen. qui exterminans opinio-
nem eorū, qui Angelos creatos fuisse malos
putant, autoritate & ratione probat bonos
fuisse creatos, dicens super illud Gene. Vidit
Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.

*Nō fuerūt
angeli in
gratia cō-
summata
creati.*

Cap. 21

Naturam ergo Angelorum bonam fecit. Nec potuit creator optimus, author mali esse. & ideo totum bonum erat, quod ex ipso illis erat.

17. a.
140. b.
obicitio in
occurrit.

1

Et ad eas authoritates, quas aduersarij adducunt, respondendū: Primò ad id Iob, Hoc est initium figmenti Dei, vt illudatur ei ab Angelis eius: Dicendum quòd Diabolus dicitur initium figmenti Dei, eò quòd Deus prauidit (quando sic ipsum fecit) quanta bona de eius malitia prouenirent, cum ad eius tentationes sancti proficerent. Hoc autem fecit, vt illudatur ei: illudatur enim ei cum sanctis proficit tentatio eius. sed & ipse est initium, & præcedit antiquitate & principatu malitię.

Et illud Iohā. Ille homicida fuit ab initio, & in veritate non stetit, exponit Aug. Non sic accipienda sunt verba hæc, vt malus à bono Deo creatus esse putetur, quasi ab initio cecidisse non diceretur. Nò enim cecidit, si talis, scil. malus, factus est. à quo enim caderet? Sed factus prius statim à veritate se auertit, propria potestate delectatus, beatęq; vitę dulcedinem non gustauit, quam acceptam non fastidiuit, sed nolendo accipere amisit. Sui ergo casus præsciens esse non potuit: quia sapientia fructus est pietatis. Continuo autem vt factus est, cecidit: non ab eo quod accepit, sed ab eo quod accepisset, si subdi Deo voluisset, Quod Origenes con-

folio 95. b. l. i. u. u.
13. fol. 95. a. u.
f. 97. a. f. 102. a.
f. 111. a.

2

folio 94. b.
l. i. u. u. 4.
folio 94. a.
l. i. u. u. 19.

Angelus
non fuit
præsciens
sui casus.

To. 3. firmat super Ezech. &c. ideoque illa verba
 Ioh. 1. sic accipiēda sunt: Homicida erat ab initio,
 vel mēdax. i. statim post initium, quando fi-
 bi aequalitatem Dei promisit, & seipsum oc-
 cidit, qui homicida dicitur in Euang. vel di-
 citur homicida ab initio. s. conditionis ho-
 minis, quē per invidiā in mortē præcipita-
 uit & fallaciter se duxit. Ex prædictis igitur
 liquet Angelos omnes bonos esse creatos,
 & post creationem per morulam aliquandiu
 stantes, quosdā tamen cecidisse à bono quod
 habuissent si perstitissent.

CAP. Quartum. Angeli ante confirma-
 tionem habebant de Deo cognitionem,
 sed non meritoriam.

ERat in eis triplex naturalis cognitio,
 qua sciebant quòd facti erāt, & à quò,
 & cum quo facti erāt. ideo & aliquam
 boni & mali notitiam habebant, & natura-
 lem dilectionem, qua Deum & se aliquate-
 nus diligebant, per quam tamen non mere-
 bantur.

DE ANGELORVM MO-
 rali bonitate vel malitia in
 sua creatione.

DISTINCT. Quartæ

CAP. Primum.

Angeli nec beati nec miseri creati sunt.

hb. 2. Or. 33.
 1. f. 148.
 b. h. 21.

Notitia
 aut. Patro